Ex alia Dicone.

(3.

OCTAVA DIOECESANA

SYNODUS

S. BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentiss. & Reverendiss. in Christo Patre, & Domino

FR. VINCENTIO MARIA

Ordinis Prædicatorum, Tituli S. Sixti S.R.E. Presbytero Cardinali Ursino Archiepiscopo.

Celebrata die 25. Octobris Anno Domini MDCXCIII.



BENEVENTI MDCXCIV.

E TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI.

EDITTO

Per la proroga del Sinodo Diocesano.

*FR. VINCENZO MARIA DELL'ORDINE DE' PREDIC.
Per divina misericordia del titolo di S. Sisto della S. R. C.
Prete Cardinale Orsini, della S. Chiesa di Benevento
Arcivescovo.*

LA costumanza, religiosamente serbata per molti secoli da'nostri Predecessori in questa nostra Chiesa, di celebrare due Sinodi in ciascuno anno, il primo a'24. di Agosto, l'altro, detto delle Litanie, a'25. di Ottobre co'giorni seguenti, è una funzione delle maggiori, che appartener possano alla nostra Pastorale sollecitudine, per essere la più atta, e la più propria per la conservazione della disciplina Ecclesiastica. Questo anno però, che ci conviene pubblicare il nostro Concilio Provinciale, ragunato nel passato mese d'Aprile, che fin'hora non si è potuto dare alle Stampe, per non aggravare con più viaggi il nostro Clero, convenuto allo stesso Sinodo, proroghiamo co'l presente nostro Editto il solito Diocesano, fin che sia impresso, ed in istato di poterlo pubblicare il medesimo Concilio Provinciale.

Ed acciocchè fra tanto non si tralascino le solite Congregazioni de'Casi, e de'Riti, ordiniamo sotto le pene Sinodali, che s'incorrono da quelli, che obbligati non intervengono alle stesse Congregazioni, che si debbano riassumere le materie Morali, Rituali, e Spirituali della prima Tabella nella Pendice del IV. Sinodo, giusta l'ordine posto nella medesima di Eddomada in Eddomada, affinchè colla repetizione restino maggiormente impresse nella mente de'nostri Ecclesiastici.

E perchè questo nostro Editto astringa tutti; e niuno allegar possa scusa d'ignoranza, ordiniamo, che affisso ne'soliti luoghi habbia forza, e vigore, come se fusse stato a ciascuno personalmente presentato, intimato, e notificato. Dato in Toro nella S. Visita a'22. di Luglio 1693.

FR. VINC. MARIA CARD. ARCIV.

G. Fodero Segr. del Sinodo.

DE-

DECRETUM
DE APERITIONE SYNODI.

In nomine Sanctissimæ, & Individuę Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

FR. VINCENTIVS MARIA Ord. Prædic. miserat. divina tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Vrsinus, S. Metropol. Ecclesiæ Beneventanæ Archiepiscopus.

SApientissimus Regum Salomon, materiali templo, sacris cæremoniis initiato, habitaque septem diebus solennitate, die octavo fecit collectam. [a] Dierum illorum numerus annorum nostrorum in formali Civitatis, & Archidiœcesis nostræ Ecclesiæ, annuis solennibus Synodis excolenda, solicitudinem excitavit. Septem siquidem annis Diœcesanis Constitutionibus edendis, Deo propitio, allaboravimus; octavo autem Sanctissimorum Provinciæ nostræ Coëpiscoporum collectam, provinciale scilicet Concilium, Spiritu Dei afflante, coëgimus. Quocirca Diœcesanam Synodum die 24. Augusti, ut in nostra Metropolitana religioni habetur, quotannis celebrari consuetam, hoc anno ad alteram nempè Litaniarum die 25. Octobris, more majorum habendam, transtulimus, cùm ne graves Clero nostro Diœcesano, qui de mense Aprili Provinciali Concilio interfuit, illicò essemus, tum ut idem Concilium interim editum evulgaremus. Octavam igitur Synodum, novis Diœcesanis Constitutionibus minimè auctam (ut octava tanquam ad caput redeat, quia consummatum, perfectumque ostendit, & probat) [b]; sed ipso Provinciali Concilio locupletem, nostro Edicto die 22. Iulii de-

a *Paralipomenon. c.7. v.9.* b *August. de serm. Domini in monte.*

currentis anni prorogatam simul, & indictam, hac ipsa die 25. Octobris 1693. ad Omnipotentis DEI, & IESU CHRISTI Filii ejus Domini nostri, SS. Deiparæ, S. Michaëlis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, Sanctorum Pontificum nostrorum Ianuarii, & Barbati, Sanctorum Dominici, & Philippi Nerii, cæterorumque nostræ Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, & laudem apertam esse, atque inceptam volumus, promulgamus, & decernimus.

Reliqua decreta, nempè de modo vivendi in Synodo, de Ministris Synodalibus, de præjudicio non afferendo, de non discedendo, de oratione publica, de fidei professione, & de cæteris hujusmodi, habentur in actis, quæ in Archiepiscopali Cancellaria servantur.

DECRETUM I.

De promulgatione, & lectione Concilii Provincialis hoc annò celebrati.

CUm nostro Edicto sub datum die x. mensis Octobris 1693. mox legendo, universis, & singulis nostræ Provinciæ fidelibus omnia, & singula acta, & decreta in Provinciali Synodo diebus XI. XIII. & XVI. Aprilis decurrentis anni emanata, & a Sacra Congreg. Concilii recognita, & admissa publicaverimus, mandantes, quòd post tres menses a præfati Edicti in Ecclesiarum valvis affixione, omnes, & singulos, quorum interest, eadem decreta Synodalia ita arctent, ac si personaliter eis intimata fuerint, sub pœnis in eisdem Synodalibus Constitutionibus contentis. Cumque omnes, & singuli Comprovinciales Episcopi, coacta Synodo [a] eadem evulgare teneantur, Nos, qui exemplo nostro cæteris præire debemus, in hac nostra Synodo præfata decreta promulgari, & legi decernimus, & mandamus.



EDI-

a *cap. fin. dist.* 18.

EDICTUM
Publicationis Actorum Concilii Provincialis Beneventani.

FR. VINCENTIUS MARIA ORDINIS PRÆDICATORUM, Miseratione Divina Tit. S. Sixti, S. R. E. Presb. Cardinalis Ursinus, S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Metropolita.

OMnibus, & singulis nostræ Provinciæ fidelibus publico hoc præsenti authentico Edicto, ad valvas nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, cæterarumque Cathedralium, ac insignium Ecclesiarum, etiam exemptarum, ac nullius Diœcesis ejusdem nostræ Provinciæ affixo, publicantur omnia, & singula Acta, & Decreta emanata in Synodo Provinciali per Nos cum Sanctissimis, ac Reverendissimis Coëpiscopis nostris, aliisque Prælatis inferioribus de more legitimè, ac canonicè, habita, & celebrata in prædicta nostra Metropolitana Ecclesia diebus XI. XIII. & XVI. Aprilis currentis anni, & a Sac. Congreg. Conc. juxtà Constit. fel. record. Sixti PP. V. *la LXXIV.* benignè recognita, & expensa, nec in ulla prorsùs sanctione immutata; ut ex autographo Decreto ejusdem Sac. Congr. lato die XXVI. Septembris proximè elapsi, & ad Nos transmisso. Inhærendo autem Constitutioni præfati nostri Concilii Provincialis *in Cap. 2. tit. 2. De Constitutionibus*, volumus, quòd post tres menses a præsentium in prædictarum Ecclesiarum valvis affixione, ut præmissum est, omnes, & singulos, ad quos respectivè spectat, eadem Decreta Synodalia itá afficiant, & ad observantiam adstringant, ac si personaliter eis exhibita, intimata, notificata, & præsentata fuissent sub pœnis in eisdem Synodalibus Constitutionibus contentis. In quorum fidem hoc ipsum Edictum conficiendum, per Nos, & Secretarium nostrum subscribendum, & nostri sigilli impressione muniendum decrevimus. Datum in S. Visitatione Oppidi Montis Calvi nostræ Archi-Diœcesis hac die sacra S. Ludovico Bertrando X. mensis Octobris 1693.

FR. VINC. MARIA CARD. ARCHIEP. METROP.

I. Foderus Synodi Secret.

Edicti

Edicti lectionem secuta est Provincialis Concilii lectio, & promulgatio.

DECRETUM II.

De confirmatione septem superiorum Diœcesanarum Synodorum.

DIœcesanas Synodos unà cum earum Appendicibus annis 1686. 1687. die 24. Augusti, 1688. die 25. Octobris, 1689. 1690. 1691. 1692. consueta die 24. Augusti, a nobis editas, typis datas, & promulgatas præsenti Synodo confirmamus, & ab omnibus, quorum interest, inviolabiliter servari mandamus, sub pœnis in illis statutis, & comminatis.

DECRETUM III.

De iis, quæ ad universas præfatarũ Synodorum constitutiones pertinent.

HOc decretum, sicuti extat in prima Synodo, in hac octava confirmamus, volumusque ut omnes, & singulos arctet, ac si ad verbum hic insertum, & relatum fuisset.

DECRETUM IV.

De Synodi conclusione.

HÆc sunt, quæ Spirituisancto, & nobis decernenda, & promulganda visa sunt in præsenti nostra octava Synodo, quam optatum finem consecutam complemus; propterea ipsam, Deo, qui eandem cœpit, & perfecit, gratias agentes, concludendam esse decernimus, & conclusam denunciamus.

DECRETUM V.

De Indictione futuræ Synodi.

SYnodum aliam futuram, juxtà Sac. Conc. Tridentini sanctiones, & antiquum nostræ Ecclesiæ morem indicimus habendam esse die 24. Augusti sequentis anni 1694.

ROGITUS ACTORUM.

Prædicta omnia, & singula acta, & decreta tùm Sacri Concilii Provincialis celebrati mensē Aprili proximè elapso a Titulo 1. *De summa Trinitate, & Fide Catholica*, usque ad Titulum ultimum

mum 55. *de sententia excommunicationis* inclusivè, cùm ejus Appendice, tùm cætera alia in præsenti Synodo contenta, celebrata, promulgata, lecta, lata, & recepta fuisse respectivè in S. Metropolitana Ecclesia coram Reverendissimo Capitulo ejusdem Metropolitanæ, nec non adm. RR. Capitulis Collegiatarum Urbis, & Clero Urbano, & foraneo de more sub diebus 25. 26. 27. 28. 29. & 30. mensis Octobris 1693. fidem facio, atque testor

Ego P. Sanctorius insignis Collegii S. Spiritus Car. Not. Apost. & Curiæ Archiep. Cancellarius.

ACCLAMATIONES.

Habentur in prima Synodo Diœcesana propè finem.

DECRETUM VI. ET ULTIMUM

De Synodi dimissione.

AD laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæque semper Virginis Mariæ Matris Dei, Sancti Michaëlis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, SS. Pontificum Januarii, & Barbati, SS. Confessorum Dominici, & Philippi Nerii, reliquorumque hujus nostræ Civitatis Patronorum, cæterorumque Sanctorum, Synodum dissolutam, ac dimissam decernimus: ita, ut unicuique licitum sit ad proprias Ecclesias redire. Hortamur tamen, & obsecramus vos, fratres charissimi, quatenùs tales in vestro munere sitis, ut in moribus vestris hujus nostræ Synodi fructus elucescant, & vestro exemplo imitationem sanctam plebs acquirat. Lauretanæ verò Litaniæ adhuc singulis Sabbatis recitentur, ad consequendum spirituale stipendium centum dierum de vera Indulgentia, in Provinciali Synodo a Nobis prò tota Provincia concessum, exorantibus Deum, ut B. Maria semper Virgine Dei Genitrice intercedente, ejusdem Provincialis Synodi decreta salutari executioni demandentur.

F I N I S.

IUDICES, ET EXAMINATORES SYNODALES

Confirmati sunt omnes in superioribus Synodis enumerati.

Deinde

Deinde receptæ fuerunt literæ Apoſtolicæ infraſcriptæ ſuper Concilio Provinciali Sanctiſſimo Domino Papæ præſentato.

Foris. Dilecto Filio noſtro Vincentio Mariæ Tit. S. Sixti S.R.E. Presb. Card. Urſino nuncupato.

Intus. INNOCENTIVS PP. XII.

Dilecte fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi de eximia pietate, deque incenſo zelo, quo demandatam paſtorali curæ tuæ Beneventanam Eccleſiam gubernas, & regis, præclara nobis non deerant argumenta; gaviſi nihilominùs admodùm ſumus comprobatum idipſum agnoſcere in Provinciali Synodo, quam convocaſti; præter meritum enim, quod exindè in te abundè redundat, juſtam etiam in ſpem adducimur, fore ut alii, conſimili in gradu conſtituti, ad idem ſolicitè præſtandum vehementer excitentur. Uberes autem tibi, nec non Epiſcopis, cæterisq; Prælatis, qui unà tecum prædicta in Synodo convenerunt, laudes tribuentes, non omittemus rogare illum, pro cujus gloria amplificanda ſedulam operam impenderunt, ut Apoſtolicam benedictionem, quam hac præſertim de cauſa, peramanter omnibus, ac ſingulis impertimur, effuſa beneficentiæ ſuæ largitate cumulet, atque confirmet. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVI. Januarii 1694. Pontificatus noſtri anno tertio.

Marius Spinula.